

**E**Rgo venis grato celebrādus carmine, BRAVNI?  
Thespiadū dignus laudibus ergo venis?  
Cur ita? mens linguis, docta mens arte polita est:  
Labe carent mores: ingenioq; vales.  
Nanq; ligata velis, seu condere verba soluta,  
Fausto succedunt omine, scripta stylo.  
Cognita testatur multis industria, cura:  
Claslica quāmcq; simul publica turba probat:  
Proxima testatur progressio: quanta rogamus  
Multorum ingenti verba stupore dabas?  
Ast maior iam surgit honos: iam voce DECANI  
Bacciger en Lauro tempora cinctus abis.  
O laus summa, pios hac spe recreare parentes,  
Rectori & pariter gaudia ferre suo.  
NICOLAE ô felix genitor, qui sidere læto  
Collustras nato præmia tanta dari:  
Viue parens felix: Nati pia cœpta Superni  
Fortunent: BRAVNI viue valeq; diu.

*Tus filius vna.*

*M. Paulus Crusius Molendinus Hennenbergiacus.*

ARISTOTELES TRIA PRAECIPIT

LONGE DEBERE ABESSE A BONO

auditore, malvolentiam, diffidentiam

& peruersitatem ingenij.

**H**AEC tria perpēdenda tibi sunt Braunea proles,  
Vatidicæ ut faueant studijs pro more Sorores:

Quæ rogo sint alta semper tibi mente reposita  
Calliditas animi, non v anis stulta retractes,  
Præfectisq; scholæ faueas, tibi si quoq; tu vis  
Ut faueant, & sic semper tua fata vigeant.  
Spem dubiæ menti nō des quæ præhendere fas est:  
Marte suo ingenium paritur labor omnia vincit.  
Murmure nec tacito quædam sub corde volutes,  
Talia nam turpant mores animumq; resoluunt.  
Accipias igitur lane hæc monimenta magistri:  
Quæ si præstabis tum clarum nomen habebis.

*Iohannes Turocenus Pannonius.*

ALIVD.

**V**incit amor studiū laudumq; arrecta Cupido  
Et vicit, vincet dum v ehit astra polus:  
Ille v etat turpi sectarier otia luxu:  
Hæc mouet assiduo calcara subdit equo!  
Te quoq; sollicitat sophiæ dum maxima Bruno  
Gloria, tum docti nomina ferre iuuat.  
Sedulus Aoni perlustras culmina montis  
Pymplæiq; sacris perluis ora vadis,  
Hæc puer vt primas fecit non impiger aras  
Imbiberes linguas acciperesq; duas.  
Vnde tibi cumulus primis iam surgit in annis  
Laudis, & ingenio crescit honore decus:  
Dum, velut in bellis, parto qui læta triumpho  
Dona capit, studiū præmia magna refers,  
Actua doctiloquus vernanti fronde professor  
Tempora, conatus sic meruere, notat.

*Ipsè*

R 102.288 (3)

CARMINA

M. 17. 466 3 + Md VIII

Gratulatoria in honorē optimæ  
spei ac indolis Iuuenis, Ioannis Iacobi Braun Ar-  
gentoratensis, cū ei prima laurea decerneretur à  
Spectabili Domino Decano M. Theophilo Golio,  
& ordinario Ethices Professore in clytæ  
Academiæ Argentinensis 6. die  
Iuni, Anno calculi  
1583.



ARGENTORATI  
Excudebat Nicolaus Wyriot, Anno  
M. D. LXXXIII.

Mg  
Braun, Johann Jakob